



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Secvnda, Qva Continentvr Socratis Scolastici
Constantinopolitani lib. 7. Theodoriti Cyrensis episcopi lib. 5

Christopherson, John

[Köln], 1569

De Imperatoris Constantini funere. Cap. XXVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12704

bilem mortis rationem, qua Arius ibi occubuerit, demonstrant. Hac re gesta, ingens terror & exanimatio Eusebianæ factioni incussa est: fama rei non solum per totam ciuitatē, sed etiam per vniuersum prope dixerim, orbem terrarū permanuit. Imperator verò hac ratione fidei Christianæ firmius adhæsit: fidem Concilij Nicæni autoritatē, & nutu diuino, re vera confirmatam asseruit: & propterea illo exitu Arii magnopere lætatus est. Porro autem, ex tribus filiis, summam animo percepit voluptatem, quos singulos ad decimum quemq; imperii sui annum Cæsares renunciauit. Ac maximum natu, quem suo ipsius nomine nuncupauerat Constantinum, decimo anno regni sui, partibus imperii in occidente sitis, præfecit: Secundum, quem aui nomine Constantium appellauerat, vigesimo anno partium imperij ad orientem spectantium Cæsarem declarauit: Tertium, qui minimus natu erat, nomine Cōstantem, trigesimo anno Cæsarem creauit.

De Imperatoris Constantini funere.

C A P. X X V I.

ANno post, Imperator Constantinus sexagesimū quintum ætatis suæ annum ingressus, in morbum incidit, Constantinopoli decedens, Helenopolim trajicit, balneis aquarum natura calidarum, quæ ibi sunt in proximo, vsurus. Vbi verò morbo grauius afflictabatur, lauationem balnearum distulit. Helenopoli autem abscedens, Nycomediam recta proficiscitur. Illic in suburbio commoratus, lauacro baptismatis, quod est Christianorum proprium, tingitur. Quo vehementer exhilaratus, testamentum facit: in quo tres filios, hæredes imperij instituit, & illis hæreditates, sicut cum integra esset valetudine distribuit: multa præclara monumenta cum Romæ, tum Cōstantinopoli legat: præbytero illi, per quem Arius erat reuocatus (cuius paulo ante fecimus mentionem) testamentum concredit: cui mandat, vt nulli alii, quàm filio suo Constantio, quem Orienti præfecerat, illud in manus daret. Testamento autem composito, & vita ad aliquot dies propagata, mortem oppetit. Nemo ex filiis eius morti interfuit. Proinde nuncius in Orientem Constantio patris mortem significaturus, mittitur.

SOCRATIS HISTORIAE

tur. Corpus Imperatoris, necessarii ac familiares in loculo aureo condunt: ad Constantinopolim deportant: ibi in palatio altius à terra collocant: magno prosequuntur honore, vsque eo, quoad vnus ex filiis aduentaret. Post Constantij ab Oriente aduentum, regio decoratur funere, inq; Ecclesia Apostolorum (sic enim vocabatur) reponitur: quam quidem Ecclesiam ob eam ipsam causam Constantinus aedificauerat, ne Imperatores & sacerdotes Apostolorum reliquiis aliquando destituerentur. Vixit Imperator Constantinus annos sexaginta quinque: triginta vnum regnauit: mortem obiit, Feliciano, & Tatiano Coss.

Ad vndecimum Calend. Iunij: Anno secundo,

Ducentesimæ Septuagesimæ octauæ O-

lympiadis. Iste liber spacium

annorum triginta vnus

complectitur.

Finis libri primi.

Deo semper & vbique gloria.